UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Novissima Polyanthea, In Libros XX. Dispertita

Dominicus

Francofurti, 1613

Notitia

urn:nbn:de:hbz:466:1-97211

Visual Library

Chriſtum & tanquam fidelis ab eo cognominatur, 2. *Tim.* 2.19. Nomine Chriſti aliquem recipere, eſt Chriſti cauſa excipere, quod ipſi hunc honorem habeat, *Matth.* 9.37. Nomen pro celebri illa virtute Dei, quam teſtatur, quisquis Deum appellat. 7. *verſ.* 22. Nomen Dei auditum vbique, 1. *Reg.* 8. *v.* 42. non aſſumendum fruſtra, *Exod.* 28. *v.* 7. polluitur periurio, *Leui.* 19. *v.* 12. Nomen Dei, Sum qui ſum, *Exod.* 3. *v.* 14. Nomen Dei inuocare ſuper aliquid, *Num.* 6.27. in nomine Domini benedicit Dauid populo, 2. *Sam.* 6. 18. ſic maledicit Eliſæus, 2. *Reg.* 2. *v.* 24. Nomen patris inuocatum ſuper Ephraim & Manaſſen, nominari vel vocari nomine patris & maiorum, vt & reliqui filii Iacob.

Nomina filiorum Iſrael in Sacerdotis pectore inſculpta. *Exod.* 28. 29. nomina blaſphemiæ, *Apoc.* 13.1.

❡ Sententiæ Philoſophorvm.

Nomen eſt vox ex inſtituto ſignificans, omnis expers temporis: cuius pars quicquam nulla declarat ſeparatim. Nam in Reipublicæ verbo, publica nihil per ſe ſignificat, vt in hac oratione Republica, *Lib.* 1. *de interpret. c.* 2.

Nullum nomen natura conſtat: ſed cum quaſi nota quædam ad aliquid ſignificandum erit impoſitum. Nam ſoni ii, qui nullis literis exprimuntur, quales ſunt beluorum, aliquid illi quidem ſignificant: attamen nullus eorum ad nomen pertinet. *ibid.*

Non homo nominis vim non obtinet, nec ei vllum nomen impoſitum eſt, quo appelletur: quandoquidem nec oratio eſt, nec negatio. Appelletur ſane nomen infinitum, quod æque in quavis re dicatur, tam quæ eſt, quam quæ nulla eſt. Hæc vero, Ciceronis & Ciceroni & cætera eiusdem generis, non nomina, ſed caſus nominis vocentur. *ibid.*

Diſcite omnia præter virtutem mutare nomina.

Authorum nomina non ſupprimenda ſunt. *Sen. epiſt.* 96.

Nomina pueris pulchra ſunt imponenda. *Plin. Sen.*

Nomina cum re conſentiant. P*lato de Sap.*

Non decet ex nominis ſignificatione de moribus iudicare. *Demoſthen.*

Sicut noxius eſt, qui mittit ſagittas, & lanceas in mortem, ita vir, qui fraudulenter nocet amico ſuo, & cum fuerit deprehenſus, dicet, Ludens feci. *Prou. c.* 26.

❡ Apophthegmata.

Antiſthenes. Iis qui appeteret immortalitatem, vnicam viam oſtendit, vt iuſte pieque viueret. Sed vulgus hominum è ſtructuris, ſtatuis, trophæis, ac libris ſibi promittit immortalitatem. *Laert. l.* 5. *cap.* 1.

Bion Gloriam dicebat eſſe matrem annorum, ob id opinor, quod cum hominis vita ſit breuis, honeſta memoria per multa ſecula propagatur. *Laert. l.* 4. *c.* 7.

P*lato* rogatus, ecquid eſſet futurum ipſius monumentum, quemadmodum ſuperiorum: Primum, inquit, parandum eſt nomen, ita monumenta futura ſunt multa. Senſit, hominis memoriam optime ſeruari in mentibus hominum, optimeque propagari ſcriptis virorum eloquentium. *Laert. l.* 3.

Non exiſtimabant nomen inuidioſum & moleſtum imponendum magiſtratui, qui ciuitatis liberæ adminiſtrationem haberet, tum ipſorum ſubditorum cauſa, ne odioſis appellationibus perturbarentur, tum etiam vt cauerent ne iis qui magiſtratus acciperent, vel per imprudentiam ab aliis iniuria fieret, vel ipſi aliis facerent *Dionyſ. Halic. l.* 5.

Nomen maximum in bello momentum. *Curt. l.* 5.

Nomina inſignia oneroſa ſunt. *Lamprid. in Alex. Seuero.*

Regium nomen (in bello præſertim quod aduerſus regem geritur) plurimum valet. *B. Facius. hiſt. l.* 6.

Fuere quondam rerum nomina quam optime diſpertita mortalibus: ex hisce nominibus à fortitudine ſecernitur audacia, quorum alterum cuicunque acceſſerit, dedecus ac diſcrimen inducit, alterum virtutis opinionem. P*rocop de bello Goth. l.* 1.

Non me præterit magnas turbas inter homines rerum nomina immutata concitare: veluti, ſi quis humanitatem dicere improbitatem velit. Inde rectiora quæque corrumpi ac perturbari contingit. Siniſtrum quippe & plane improbum eſt, eos qui leges ad verum acrius circumſcribere profitentur, earum nominibus pro velamentis ad impietatem & nequitiam vti, vt peccare intrepide, & prauitatem præ ſe tutius ferre queant. P*rocop. de bello Goth. l.* 3.

❡ Similitvdo.

Vt ſunt flumina quædam, quæ cum eadem ſunt diuerſis locis, diuerſa ſortiuntur nomina: Ita quædam res in alio homine variis nominibus mutantur: velut faſtus in principe ſplendor appellatur, in priuato ſuperbia. *Eraſmus.*

❡ Exempla Biblica.

Nominum impoſitionis exempla: Eua, *Gen.* 3.20. Seth, 4.25. Noe, 5.29. Iſmael, 16.11. Sara, 17.15. Iſaac, *v.* 29. Moab, 19.37. Ammon, *v.* 38. Eſau, 25.25. Iacob, *v.* 26. Ruben, 29.2. Simeon, *v.* 33. Leui, *v.* 34. Iuda *v.* 35. Ioſeph, 30.24. Beniamin, 35.18. Manaſſes, 41 51. Ephraim *v.* 52. Moſes, *Exod.* 2.10. Gerſon & Eliezer, *v.* 22. & 18. *v.* 3. 4. Samuel, 1. *Sam.* 1. 20. Loriamo, *Oſea* 1.6. Loammi, *v.* 9. Ioannes, *Luc.* 1. *v.* 60. 63. Ieſus, 2.21.

Notitia.

❡ Definitio: et Etymolog.

NOtitia, Græce γνῶσις, εως, ἡ, & γνωστὸς, ῦ, ὁ, notus: & γινώσκω ... co dicitur. Dicitur autem notitia quadrupliciter, ſcilicet ... ra, potentia, habitus & actus cognoſcendi. *ex B. Thom. ...* *Vel* 6.4.*c.*

❡ Sententiæ Patrvm.

Scientiam cœleſtium & terreſtrium rerum magis æſtimare ... genus humanum, in quo profecto meliores ſunt, qui huic ... proponunt noſſe ſeipſos. *Aug. de ciuit. Dei, l.* 4.

Laudabilior eſt animus, cui nota eſt infirmitas ſua, quam ... non reſpecta, vias ſiderum ſcrutatur, etiam cogniturus ... iam cognitas tenet. *idem l.* 3. *de Trinit.*

Sicut concuſſa aqua imaginem reſpicientis non reddit, ... lum cum eſt quieta, ſic anima non deprehendit ſe, niſi cum ... ta. *Greg. ſup. Ezech. l.* 1. *hom.* 1.

Quid domorum nomine, niſi conſcientiæ deſignantur ... habitamus, quæ contrectando agimus? *Greg. Mor. ſup. ...* *Perfodiunt in tenebris domo.*

Cognoſcere ſe non poteſt anima, quæ tota apud ſe non eſt, ... etiam diuinæ luci appropinquet. *Greg. Mor. l.* 31.

Volo proinde animam primo omnium ſcire ſeipſam, quod ... ſtulat ordo rationis quando quod nos ſumus, primum ... *Bern. ſuper Cant. hom.* 36.

Superbiam tibi parit ignorantia tui, cum meliorem quam ... cepta & deceptrix tua te cogitatio eſſe mentitur. *ibid.* 37.

Magnus acceſſus ad Deum eſt, cognitio infirmitatis ... corpora continentur, animi autem locus eſt affectio ſua. ... vtilitas ſeruo Dei, propriam infirmitatem recognoſcere, ... virtutibus & meritis nullam fiduciam habere. *Caſſ. ſup. Pſal. ...* *re mei Domine, quoniam infirmus ſum.*

Meliores es, ſi teipſum cognoſcas, quam ſi te neglecto ... derum, vires herbarum, complexiones hominum, natura ... lium, cœleſtium omnium & terreſtrium ſcientiam habere ... enim multa ſciunt. & ſeipſos neſciunt, cum ſumma philoſophia ... cognitio ſui. *Hugo. l.* 1. *de clauſtro anima.*

❡ Sententiae Poeticae.

Iuuenal. Sat. 11.

Figendum, & memori tractandum pectore ſiue
Coniugium quæras, vel ſacri in parte Senatus
Eſſe velis, nec enim loricam poſcit Achillis
Therſites, in qua ſe traducebat Vlyſſes.
Ancipitem ſeu tu magno diſcrimine cauſam
Protegere affectas te conſule, dic tibi qui ſis
Orator vehemens, an Curtius, an Matho? bucca
Noſcenda eſt menſura tua, ſpectandaq́; rebus
In ſummis, minimisq́; etiam cum piſcis emetur.

Perſ. Sat. 4.

Tecum habita, & noris, quam ſit tibi curta ſupellex
Nec te quæſieris extra,

❡ Sententiae Philosophicae.

Humanæ quippe naturæ iſta conditio eſt, vt tum tantum cæteris rebus, cum ſe cognoſcit, excellat: eadem tamen infra beſtias redigatur, ſi ſe noſſe deſierit. Nam cæteris animantibus ſeſe ignorare natura eſt: hominibus vero vitio venit. *Boet. de philoſ. conſol. lib.* 2. *proſ.* 5.

Γνῶθι σεαυτὸν. id eſt, noſce teipſum. Pittacus & Chilon.

❡ Adagia.

Hoc iam & vates ſciunt. τὸ ἐπιστητὸν ἤδη καὶ μάντεις.

Apte torquebitur iocus in rem tandem compertam, quæ ... fefellerat.

In ore atque oculis. *Cicero.*

Quæ propalam fiunt, in ore atq́; oculis omnium fieri dicuntur.

Rumor publicus non omnino fruſtra eſt.

Φήμη δ᾽ οὔτοι πάμπαν ἀπόλλυται ἥν τινα λαοὶ
Πολλοὶ φημίζωσιν
Haudquaquam in totum rumor perit ille, per ora
Qui, volitat populis compluribus.

Domeſtice notus.

Lucianus: ... Vir ... & qui te ex domeſtico conuictu cognitum habeat. Id erit ... ad res animi traducatur, vt ſi quis dicat artem Rhetoricam ... alicui notam.

...& in cute.
...& in cute notus, eſt omnibus modis cognitus, perinde quaſi ... atq; intus notus Perſius:

Ad populum phaleras, ego te intus & in cute noui.

...Aliis fucum feciſti, mihi plane notus es, neq; potes impoſtu... fateare. Plautus: Hunc ego penitus & domi inſpexi. Er iſt mir ...dt von haut vnd haar.

...is & tonſoribus notus.
... Quæ iam in ora vulgi abierunt, omnibus tonſoribus ac lippis nota ...tur. Horatius:

Opinor,
Omnibus & lippis notum & tonſoribus eſſe.

...Principes inter ſe noti.
...ui dicit mutuam Principum aut eruditorum inter ipſos eſſe ...tiam, etiamſi diuerſas longeq; diſsitas habitent regiones, vſur... poterit illud Homeri:

Οὐ γάρ τ' ἀγνῶτες θεοὶ ἀλλήλοισι πέλονται
Ἀθάνατοι, οὐδ' εἴ τις ἀπόπροθι δώματα ναίει.
Non ignoti inter ſe ſunt dij morte carentes,
Quanquam ſemoti diuerſa in ſede morentur.

Torqueri poterit & in ſatrapas iſtos, qui, tametſi belligerari vi...tur, magnoq; rerum tumultu conflictari, tamen ipſi clanculum ...ſe colludunt: hoc tantum agentes, vt ſuam vterq; plebem ex... imminuta Reſpub. authoritate, ſuam conſtabiliant tyran...dem.

Vide Scientia, Item, Ignorantia.

Nouerca.

¶ DEFINITIO ET ETYMOLOG.

Nouerca, Græce μητρυιὰ, alias μητρυιά, ας, ἡ, dicitur; & eſt ea, quam ...is liberis ſublatis, nouam vxorem ducit, arcendæ familiæ ... ſecundum Pompeium. Dicitur autem, quod noua à patre ...ducatur, ita & vitricus, quod nouus ſuperinducatur à matre. ... mihi vitricus matris meæ vir.
... vxor patris, nominatur, *Leu.* 18.8. & 20.11. *v.*

¶ POETICAE SENTENTIAE.

Menander.

Δεινότερον οὐδὲν ἄλλο μητρυιᾶς κακόν,
Grauius nihil aliud nouerca malum.

Ex I Epigrammat.

Μητρυιὴ προγόνοισιν ἀεὶ κακόν, οὐδὲ φιλοῦσα
Σώζουσι, Φαίδραν γνῶθι, καὶ Ἱππόλυτον.
Nouerca, priuignis ſemper malum, neq; amantes
Saluant, Phædram inſpice & Hippolytum,

Ouid. lib. 1. Metam. fab. 5.

Lurida terribiles miſcent aconita nouercæ.

Eurip. in Alceſt.

Inimica conſequens nouerca liberis prius genitis, vipera nihilo clementior eſt.

Idem in Andro.

Nunquam duplicia connubia laudauero mortalium, nec binas matres habentes liberos.

¶ PHILOSOPHICA SENTENTIA.

De nouerca. DIAL. XLII.

Franciſci Petrarchæ.

DOL.

Nouercam habeo. R. Ergo & patrem, ſic ſunt ferme res humanæ, ...is lætis, & amara dulcibus temperentur, atque vtinam ex æ...o impermixtum hic dulce non habitet. D. Iniuſta mihi eſt no...ca. R. Non inepte Vergiliano epitheto vteris, quanto autem illa ...tior tibi, tanto in illam vt ſis iuſtior enitere. D. Nouerca mihi ſuperbiſſima eſt. R. Et fœminæ proprium ſuperbia & nouercæ eſt, ſi ...næ cauſæ vnum pariunt effectum, non eſt quod ſtupeas, eſt ...d feras, teque priuignum ſimul & filium bonum probes. D. Su...biſſima eſt nouerca. R. Nulla re melius quam humilitate vinci ...ſuperbia. D. Nouercam ferre nequeo. R. At fer patrem, ſi hunc ...e diligis, facile illam feres. D. Nouerca impia atq; importuna eſt ...hi. R. Eſto illi pius ac patiens, pietatem patri debes, patientiam ...minæ, reuerentiam nouercæ. D. Inſolens eſt nouerca, R. Noli pa...r potentior ſit illius inſolentia, quam pietas tua. Nihil durum, ni...hil arduum eſt pietati, hæc ad Deum homines erigit, Deumque ad homines inclinat: quoties nouerca ſæuierit, non tu illam, ſed pa...rem cogita. D. Iniurioſa eſt nouerca. R. Mulieres iniuriæ contem...ptu melius, quam vltione plectuntur. D. Grauem patior nouercam. R. Bene ais, patior, Succumbere enim, & mulierculam pati non poſ...ſe non eſt viri. D. Odit me nouerca. R. Ipſam ama: Nam & inimicos diligere diuinum eſt præceptum, & amare, vt ameris, philoſophicum eſt conſilium. D. Nouerca me odit. R. Si patrem tuum amat, ſa...ne tibi, odiſſe patris amatricem filio non licet, ſin & illum odit, quem non oderit? Nam & ſi alterum plusquam virum amat, tu ille ne fueris. D. Nimis odit me nouerca. R. Minus malum forſitan nouercæ odium, quam nimius amor. Phædram noſti & Hippolytum. Certe odium, quod vlciſci nefas, leniendum aut fugiendum eſt. Nihil eſt quartum, querelæ ſæpe odium exaggerant.

Vide Parentes.

Nouitas.

¶ LOCI BIBLCI.

Nouiſſima præuidenda, *Deut.* 32.29. nouiſſima tempora, 1. *Tim.* 4.1 2. *Tim.* 3.1. 2. *Petr.* 3.3. Nouiſſimi, primi, *Matth.* 19.30. & 20. 16. *Marc.* 10.31. *Luc.* 13.10.

Nouitas vitæ ex Hebræorum idiotiſmo, pro noua vita, *Rom.* 6,4. in ea ambulandum eſt. *ibid.*

¶ SENTENTIAE POETICAE.

Ouid. 3. Pont. 4.

Eſt quoq; cunctarum nouitas gratiſsima rerum.

Calphurnius Eccl. 7.

Vilia ſunt nobis, quæcunq; prioribus annis
Vidimus, & ſordet quicquid ſpectauimus olim.

Ouid. 4. Triſt. 6.

Fortior in fulua nouus eſt luctator arena,
Quam cui ſunt tarda brachia feſſa mora.
Integer eſt melior nitidis gladiator arenis,
Quam cui tela ſuo ſanguine tincta rubent.
Fert bene præcipites nauis modo facta procellas:
Quamlibet exiguo ſoluitur imbre vetus.

Corn. Gallus.

Euentus varios res noua ſemper habet.

Horat. 1. Epiſt. 18.

Percunctatorem fugito: nam garrulus idem eſt.
Nec retinent patulæ commiſſa fideliter aures.

¶ SIMILITVDINES.

Plutarchi, Vt fele prætercurrente, tollunt è medio obſonia: Ita parente curioſo vertunt inſtitutum ſermonem, donec abierit, vt minus iam norit rerum quam cæteri. *in moral.*

Vt coci optant pecorum prouentum, piſcatores piſcium: Sic curioſus malorum, nouarum rerum commotionem, vt habeat quod venetur. *in mor.*

Roterodami, Vt cibi, potus, cœliq; nouitas offendit, etiam ſi motus in patria, aut in aliquanto meliora: Ita præſtat ferre principem, aut magiſtratus priſtinos, quam nouos aſciſcere, quod omnis rerum nouatio non careat perturbatione. *in Simil.*

Vt plus eſt periculi corporibus noſtris vere & autumno, ob mutationem: Ita nouitas omnis offendit ac lædit Rempublicam. *ibidem.*

Vt ſunt flumina quædam, quæ quum eadem ſint, diuerſis locis diuerſa ſortiuntur nomina: Ita quædam res in alio homine variis nominibus mutantur: velut faſtus in principe ſplendor appellatur: in priuato ſuperbia. *ibid.*

Thriueri, niſi quis à medicamento aliquot horis abſtinuerit, fere medicamentum reiicit: Et qui quemvis rumorem credulus ſtatim accipit, frequenter illum reuomit. Præſtat ergo tam rerum quam opinionum nouitates aliquo tempore diſſimulare ac tacere, ne iterum cogamur eos reſorbere. *in apoph.* 115.

¶ ADAGIA.

In folle offerre. *Calliſtrat.*

Pro eo, quod eſt, inexplorate, inexplicate & confuſe, ſicut qui ſyngraphas & pecuniam incluſas offert.

Aliud genus remi. Ἄλλο γένος κώπης. *Plut.*

Dicebatur olim, vbi quis res nouas, & antea non viſas induceret, poteſt & in eos dici, qui mutatis moribus priſtinis, nouum & inuſitatum ſequuntur.

Qui modus equitum. Τίς τρόπος ἵππων.

Dictum videtur antiquitus de hoſpitibus nouo genere quadrigarum inuectis. Hodie non inuenuſte quis accommodet ſimiolis illis, qui ſpreto nationis ſuæ vſitato habitu, peregrinarum gentium veſtimentis inuoluuntur.

Grata nouitas.

Quando ſignificabimus, nuperrima quæq; vulgo maxime placere, non intempeſtiuum fuerit illud Homericum,

Τὴν γὰρ ἀοιδὴν μᾶλλον ἐπικλείουσ' ἄνθρωποι
Ἥτις ἀκουόντεσσι νεωτάτη ἀμφιπέληται.
Cantio enim hac hominum longe eſt celeberrima, vulgo
Et gratiſsima, quæ nuperrima venit in aures.

Accinit huic Pindar. Olymp. Hym. 9. Αἴνει δὲ παλαιὸν μὲν οἶνον, ἄνθεα δ' ὕμνων νεωτέρων. *Id eſt, Lauda vinum vetus, ſed nouorum hymnorum flores.*

Agamemnonii putei. Ἀγαμεμνόνια φρέατα.

Dici poteſt de nouis & admirandis operibus. Zenedot.